

*Cl. V. C. 6. 14. 11* 159. B. e. 10. R. 2.

153978 THESES  
THEOLOGICÆ

EX TRACTATU  
DE JUSTITIA, ET JURE.

DE CONTRACTIBUS

ITEM,  
RESTITUTIONE, ET VOTO,

*QUAS*

Anno Domini 1763. publicè defensas Terciæ  
TER SANCTÆ  
GRATIARUM VIRGINI,  
SPECULO JUSTITIÆ,  
SEDI SAPIENTIÆ,

M A R I Æ,

REGINÆ OBRIZO VATICANO CORONATÆ

M A N C I P I U M  
ADVOCATÆ FIDELISSIMÆ

C L I E N S

MAGISTRÆ SAPIENTISSIMÆ

D I S C I P U L U S

P. F. GELASIUS VOSICH, Ord. Min. Strict. Obs. S.P.N.

Francisci Sacro-Sanctæ Theologiæ actualis Lector  
& Disputationis Praeses

D. D. D.

*objectionis occurrent*  
R. R. F. F. CAPISTRANUS GSUNT, & ANDREAS  
GLAVADANOVICH, ejusdem Sacri Seraphici Institutii  
professi, Ss. Theol. auditores.

---

LABACI, typis JOANNIS GEORGII HEPTNER, Inclyt.  
Provinc. Carniolie Typographi.

153978

БІбліотека  
Інституту  
Історії України  
УАН України

153978



N 899/1971

030051848



I. **J**ustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuens: L. Justitia D. de J. & J. Aut si manvis, est habitus respiciens per se honestatem æqualitatis, quæ reperitur in operatione debita ex jure stricto alterius,

II. dividitur in legalem, commutativam, & distributivam tamquam in partes subjectivas, inter se specie distinctas,

III. legalis non est dicenda complexum omnium virtutum, sed est ab aliis virtutibus quibusvis specie discreta,

IV. est tamen eadem essentialiter sive consideretur ut nomothetica est, sive ut ministerialis.

V. Objectum materiale remotum Justitiæ sunt res, quæ debentur ex jure activo alterius, proximum verò est actio, seu operatio, per quam tales res alteri debitæ tribuuntur,

VI. objectum ejus formale quod est jus passivum, acceptum pro æqualitate inter debitum unius, & jus activum alterius, formale verò quo, seu ratio formalis specificativa sub qua est honestas specialis prædictæ æqualitatis, relucens in operatione externâ justa, qua alteri, quod suum est, tribuitur ex jure stricto alterius.

VII. Juris realis præcipua species est dominium , cuius subjecta capacia sunt DEUS , ter O. M.: Angeli , & homines etiam infideles , peccatores , pueri ante usum rationis , amentes , filiifamilias , uxores , & servi ,

VIII. non autem Religiosi solemniter professi , in particulari ,

IX. incapacitas porrò hæc in ipsis non oritur ex natura status Religiosi , nec ex natura voti , aut ejus solemnitate , nec ex intentione voventis , sed provenit ex sola lege positiva Ecclesiæ ,

X. in communi tamen tales dominii non sunt incapaces , si excipias Fratres Minores , regulam S. P. Francisci in sua puritate profitentes.

XI. Quorum paupertas probat , usum simplicem facti in rebus unico etiam usu primario , & principali consumptibilibus à dominio talium rerum separari posse , non obstante Extrav. Joann. xxii. incip. *Ad conditorem Canonum.*

XII. Hoc tamen constituto afferere minimè intendimus. Christum , & Apostolos nihil proprii habuisse , id enim contendentes merito hæretici audiverunt Extrav. Joann. xxii. incip. *Cum inter nonnullos.*

XIII. Unde etiam falsitatis apertæ arguimus illos , qui dicebant Nicolaum III. in sua Decretali incip. *Exitit , qui seminat , contrarium ei , quod definivit Joannes , docuisse.*

XIV. Bona Clericorum beneficiariorum quadruplicia esse possunt , uti patrimonialia , & quasi , parsimonialia , & merè Ecclesiastica , priorum trium , sicut & merè Ecclesiasti-

ius  
mi-  
nis,  
ar-  
tu-  
ta-  
ge  
pa-  
sci  
cti  
ti-  
n.  
is.  
n.  
i.  
ui  
ui  
ia  
2  
XXI.

siasticorum *necessariorum* perfectum dominium, ac illimitatam de iis disponendi facultatem habent:

XV. At verò Ecclesiasticorum *superflorum* tantum abest, ut dominium verum habeant, ut potius ex justitia sint obligati eadem in pias causas applicare, & si profanè expenderint, omnino teneantur ad restitutionem:

XVI. quæ in re, aut in voto est ipsis ad salutem necessaria, non quidem necessitate medii, sed præcepti duntaxat.

XVII. Nihil tamen prohibet, quin Clerici beneficiarii sufficiens patrimonium habentes possint eo ad victimum non uti, & vivere ex bonis Ecclesiasticis.

XVIII. De objecto jam dominii dicimus, unum hominem posse cadere sub dominio alterius hominis, idque pluribus modis, ut jure belli (

XIX. illi tamen, qui bello etiam justo Servi effecti sunt, nil vetat, quin ulnis ambabus, jure postliminii, fugam amplecti licetè possint ) nativitate, condemnatione, emptione,

XX. vitæ verò, vel membrorum homo dominus non est, undè meritò damnati sunt hæretici Circumcelliones martyrii genus afferentes, se ipsum perimere,

XXI. immò nec Respublica, aut Princeps est Dominus proprietatis vitæ subditorum. Quare infontem authoritate etiam publicâ occidere iniquum est.

XXII. Famæ tamen, & honoris dominium homo habet.

**XXIII.** Modi acquirendi dominia rerum sunt plures, quatuor hic exponimus. *Primo occupationem*, per quam animalia, quæ sub nullius sunt dominio, vel pristinam recuperaverunt libertatem, fiunt primò occupantis, nec capiens præcisè ex captura animalium tenetur aliquid restituere, etiamsi talis captura, puta venatio &c. fuisset prohibita.

**XXIV.** *Secundo inventionem*, quæ licet suffragetur in rebus, quæ dominum non habent, non tamen in iis, quæ illum habent, licet hic ignoretur. Unde res incertæ, quarum dominus, post adhibitam diligentiam, non compareret, ab inventore retineri minimè possunt, sed sunt ex justitia in pauperes, aut alias pios usus erogandæ.

**XXV.** *Tertio præscriptionem*, quæ, si legitima fuerit, vim obtinet non solum in exteriori justitiæ, sed etiam in interiori conscientiæ foro, & quidem non in iis solum, quæ quis onerofo, sed etiam in aliis, quæ gratuito titulo comparavit.

**XXVI.** *Quarto contractum*, qui propriè sumptus definitur, mutuus duorum saltem consensus sensibiliter expressus, mutuam inducens ex justitia commutativa obligationem :

**XXVII.** qui quidem consensus ad valorem contractus humani formalis essentialiter debet esse interior, unde ille, qui solum ostendit per signa externa se contrahere, & non consentit internè, verè non contrahit, nec ex vi talis contractus obligatur.

**XXVIII.** Quod si in contractu quopiam error circa substantiam accidat, contractus jure naturæ, & positivo erit nullus, sive error fuerit antecedens, sive consequens:

**XXIX.**

XXIX. non item erit nullus , immo utroque jure, naturæ scilicet , & positivo , erit validus, si error , aut dolor accidisset circa qualitatem accidentalem , etiamsi error fuisset antecedens , & causam dans contractui ( modò talis qualitas non fuerit in pactum deducta , ut conditio ) claudicare tamen , atque rescindi posse talem contractum , ultrò fatemur.

XXX. Metus quoque quantumcunque gravis , sive iustè , sive injustè , & ad extorquendum consensum incusus , plerosque contractus non invalidat , saltem jure naturæ , poscente tamen æquitate tales per sententiam judicis sunt rescindendi.

XXXI. Vota libertatem nobis à Christo assertam non tollunt , ut perperam afferuit Petrus Martyr lib. de vot. & cœlib. eidemque ex parte concinente Calvinus , & Lutherus , quare in Evangelica quoque lege homines vovere laudabiliter , & meritoriè possunt.

XXXII. In eorum tamen votis , etiam solemnibus Causitatis , & Religionis Papa dispensare potest.

XXXIII. Votum Jephte Jud. 11. erat de filia , non autem de quocunque alio animali ,

XXXIV. & quidem de filia immolanda non per mortem civilem , quatenus DEO consecrata fuisset per virginitatis votum , & ab hominum commercio separata , ut tenent Hebræi interpres , & quidam Recentiores Ecclesiastici Scriptores , sed verè per mortem corporalem.

XXXV.

**XXXV.** Num autem Jephthe sive per nuncupationem,  
sive per executionem voti sui peccaverit? integrum nobis  
relinquit Scriptura, ut in ea re quisque, quod sibi visum  
fuerit, arbitretur, nos interim ad eam tuendam propende-  
mus sententiam, quæ illum cum Sancto Chrysostomo hom.  
**14.** ad pop. à peccato excusat, quippe factus est super Jeph-  
te Spiritus Domini - - - & votum vorvit Domino. Jud.

Cap. II.

**O. A. M. D. G.**

